



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 62. Panormitanus a sua sententia desistere sollicitatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

ste Nicolao Amici Doctore Parisiensi, ad Sæcul. XV.
A. C. 1439.
præsentem Synodum provocavit: Unde

omnia tam vesano tumultu, tamque confusis altercationibus miscébantur, ut de toto negotio jam actum esse crederetur. Joannes de Segovia has turbas sedaturus, verbis suis aures præberi efflagitabat, & impetrata dicendi copia in prolixam orationem excurrebat, qua Cardinalis Arelatensis facta, & consilia vindicare conatus, suos ad constantiam, & invictum tuendæ veritatis studium adhortatus est.

§. LXII.

Panormitanus a sua sententia desistere sollicitatus.

Plures quoque Prælati Panormitanum, ne in sua sententia persisteret, sed conceptum consilium mutaret, hortabantur; inter quos Burgensis Episcopus illum ad amorem pacis, & tuendam Synodi tranquillitatem multis precibus induxit. Verum cum & Basileenses Congregatione excedere, illamque re infecta absolvere erubescerent, & Panormitanus eorum petitis magis identidem sese opponeret, Archiepiscopus Lugdunensis tandem pronuntiavit, oppositionem a Panormitano factam nullius esse momenti, nec eam proin revocari, cum jam de se nulla esset, oportere; existimare tamen sese, haud

Sæcul. XV.
A. C. 1439.

ultra procedendum: fore enim, ut hac temporis mora Prælatorum animi ad unionem reducerentur. Ægre admodum has inducias ferebant Panormitani Fautores, qui hujus intercessionem omnino acceptandam contendebant. Quam ob rem novi exorti clamores, tantique strepitus insonuere, ut articulorum lectio adstantium aures penitus effugeret. Jamque dies ad occasum inclinabat, & conclusum adhuc erat nihil: dum tandem Cardinalis Arelatensis fervidis quorundam precibus, & Lausanensis Episcopi, plurimique Theologorum hortatu devictus, ad sedandos tumultus in fraude, atque artibus consilium quærere aggressus est.

§. LXIII.

Arelatensis Cardinalis artes ad sedandas turbas adhibitæ.

Mentiebatur itaque, se habere, quæ proponeret, a modernis tamen controversiis longe diversa; cumque hac sua fraude omnium aures avidè suspensas teneret, novo commento exponebat, ex Galliis delatas sibi fuisse epistolas novis, ac fidem hominum superantibus nuntiis plenas, quas, si eum benevole audirent, palam prælegere vellet. Consenserunt omnes, & Cardinalis ferrum, dum calet, cudentium ratus, sensim sine sensu Epistolæ